



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XIV. De restitutione damnorum ex detractatione alienæ famæ  
secutorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS XIV.

*De restitutione damnorum ex detractioe alienæ fame secutorum.*

**R**ichardus occultum grave delictum Caji, quod publicum, & satis notum esse putavit, manifestavit pluribus, ex cujus manifestatione Cajo non tantum fame, sed & bonorum fortunæ grave damnum subsecutum est; Quæ res ita afflixit Cajum, ut superveniente repentino morbo paulò post extinctus fuerit.

*QUÆR. I. An, qui per culpam solum venialem alteri detraxit, teneatur in conscientia reparare damnum grave inde secutum?*

*QUÆR. II. An detractor famam alienam graviter lesam reparare debeat non solum apud eos, apud quos illam alteri abstulit, sed etiam apud alios mediatos, quibus illi postea dixerunt ac propalarunt?*

*QUÆR. III. An obligatio restituendi pro fama lesa transeat ad hæredes detractoris, quando ipse ante mortem non restituit? & an, quando detractor famam alteri ablatam non restituit eidem, dum viveret, teneatur aliquid restituere ejus hæredibus post ejus mortem?*

86 **A**n te primi Q. resolutionem sciendum, notandumque est, per culpam theologiam levem posse grave damnum proximo inferri diversis modis, & quidem primò ex defectu plenæ deliberationis ad peccatum mortale requisita, ut si quis semisopitus, vel semiebrius, vel aliàs ex vehementi passione plenum rationis usum præpediente cum semiplena tantum deliberatione alterum graviter damnificet.

2. Ex inadvertentia, aut ignorantia vel inculpabili, vel non graviter culpabili, ut cum quis gemmam alterius pretiosam projicit in mare non cognoscens totum ejus valorem, sed putans esse vitrum constans tantum uno, alteròve crucigero, vel si advertat, & agnoscat quidem gravitatem damni materialem, seu valorem ipsius rei constantis v.g. uno aureo, sed inculpabiliter existimet unum aureum non esse materiam gravem, seu

M 3

suf-



sufficientem ad mortale respectu talis personæ, vel dominum non esse hîc, & nunc graviter invitum.  
 3. Per furta minuta, quæ quis non advertit coalescere in materiam gravem, vel si per peccatum veniale debitam cautelam omittat, non advertens, vel non putans subesse periculum gravis damni, vel se obligari ad majorem diligentiam adhibendam.

Quæstio hîc ergo est, & controversa, an si re ipsa grave damnum alteri illatum est per culpam quidem theologicam, sed merè venialem ob defectum plenæ deliberationis, plenæ advertentiæ, cognitionis, consensûs &c. nihilominus sit obligatio gravis jure naturæ ad præstandam omninodam compensationem totius damni dati? Ubi.

87 Affirmativam sententiam amplectuntur P. Vasquez. *de restit. c. 2. §. 2. dub. 2.* Palav. *de just. n. 71.* Adrian. Medina Turrian. Panormit. Covar. Ang. alique, contendentes totum damnum grave esse sub mortali restituendum.

Ratio est, *primò*, quia damnum semideliberatè datum cum culpa theologica, licèt veniali, est verè voluntarium, ac proinde injuria formalis: sed hæc fundat obligationem restituendi ex injusta acceptione: ergò.

*Secundò*, si ex duobus alteruter

grave damnum ferre debet, æquius est, & optabilius, ut ille potius damnum ferat, qui alterum injustè læsit cum aliqua sua culpa, licèt veniali, quàm ille, qui citra omnem suam culpam ab altero injustè læsus est: ergo lædens jure naturæ obligabitur ad restitutionem etiam ex culpa theologica solùm semideliberata veniali. 3. Quando plures paulatim furantur rem alterius v. g. fructus vineæ, alii aliorum incii, peccatum fuit tantùm veniale; postea tamen si sciant ab omnibus fuisse damnum notabile illatum, tenetur unusquisque sub mortali partem suam restituere, ut arguit Vasquez. Ergo sola illatio damni absque culpa mortali sufficit ad obligationem gravem restituendi.

4. Potest quis in conscientia obligari ad reparandum damnum grave sine omni sua culpa datum, ut si quis feræ cupidus prævidens periculum occidendi alienum animal, & habens animum reparandi omne damnum, si quod inferat, in feram jaculatur, & simul alienum animal interimit: ergo multò magis orietur obligatio compensandi damnum ex damnificatione theologicè culpabili, licèt veniali.

5. Obligatio gravis non est improporcionata culpæ levi etiam semideliberatæ: nam in altera vita propter exiguam injuriam, & culpam



pam levem infligitur poena Purgatorii, quamvis longè gravior, quam qualibet jactura bonorum temporalium. In hac verò vita peccatum veniale subinde punitur Excommunicatione minori, quamvis bona, quibus illa hominem privat, sint præstantiora bonis temporalibus: ergo non est, cur etiam in hac vita propter injuriam, quantumvis levem non imposuerit Deus gravem obligationem reparandi damnum grave.

88 Contrariam sententiam negantem jure naturæ dari obligationem gravem reparandi totum damnum, per culpam venialem ex defectu plenæ deliberationis vel advertentiæ ad jus alienum, & gravitatem damni materialem illatum, secluso speciali contractu, tenent, ac defendunt Sotus *l. t. de just. q. 7. a. 2.* Less. *l. 2. c. 7. dub. 6. n. 27.* Lugo *D. 8. sect. 5.* Tambur. *l. 8. t. 3. c. 2. §. 5.* Bonac. *de restit. D. 1. q. 1. p. 3. n. 9.* Haun. *t. 2. n. 194.* Jllf. *tr. 4. D. 3. n. 10.* Navar. *l. 2. de rest. c. 1. n. 48.* Eman. *Sà v. restitutio.* Henriq. *tr. de irregul. cap. 15.* Salaf. Esparz. Filliuc Platel. Rodriguez, alique plures.

Prob. 1. obligatio naturalis, universalis, maximè ardua & difficilis, quam Viri pietate, & doctrina conspicui, & homines communiter non agnoscunt, non debet asseri, nisi efficacissima ratione probetur: sed talis est obligatio refarciendi dam-

num prædicto modo datum: ergo min. prob. Ex una parte est maximè difficile vitare semideliberatas veniales noxas hominibus identidem subrepentes ex defectu deliberationis, advertentiæ, oblivionis, aliove pleni consensûs defectu: ex altera parte est summè arduum spoliare se ipsum re sua etiam magni momenti ob levem ejusmodi culpam, casu potius fortuito, quam voluntate in vitando alterius damno admissam, & quidem sponte sua & ante Judicis sententiam; atque ideo noxia magis foret, quam utilis, quia cum ex natura rei, si daretur, gravis esset, plurimi eam ob nimiam difficultatem non observantes æternæ salutis discrimen adirent. Unde meritò censentur homines antecedenter ad quemcunque eventum particularem malle subjacere periculo damnorum grave per ejusmodi leves culpas subreptitias valde difficulter evitabiles, sibi ab aliis fortè inferendum, patendi sine spe compensationis, quam subire obligationem cum tanta sua difficultate compenlandi simile damnum, si fortè à se modo tam difficulter evitabili aliis inferretur.

Prob. 2. quia licet obligatio restituendi ex delicto non sit proprie, & strictè poena, imitatur tamen poenam jure naturæ debitam, sequentem ex culpa theologica: ergo sicut ille nullam meretur poenam, qui nullam commisit culpam theologicam, & consequenter ad nul-



lam per se obligatur restitutione, ita non meretur poenam gravem, nec incurrit obligationem gravem restituendi, qui non commisit culpam gravem theologicam.

Conf. pactum, juramentum, votum cum semiplena tantum deliberatione editum ideò juxta communem DD. non inducit gravem obligationem naturalem, quia est actus in suo genere valde imperfectus, & imperfectè voluntarius, ineptus ad perfectam, & gravem obligationem inducendam: ergo nec actus imperfectè injuriosus, elicitus cum semiplena tantum deliberatione ratione suæ imperfectionis inducet gravem obligationem reparandi damnum grave tali modo datum; cum utrinque videatur esse par ratio, imò major pro voto, eò quòd per votum ex propria voluntate possumus nos obligare ad aliqua, ad quæ non possumus convenienter obligari ex jure naturali; ut adeò etiam hinc ex imperfecta, & impropria injuria non debeat nasci perfecta, sive gravis obligatio restituendi, cum hæc obligatio non nascatur ex re ipsa, seu damno, utpote quod in ratione damnificationis *gravis* non cognoscitur, sed ex injuria.

89 Hæc posterior sententia communior est, ac probabilior, & idcirco in praxi tuta ac secuta. Unde Ad rationes in contrarium alla-

tas pro priori sententia, R. ad 1.º dist. M. damnum semideliberatè datum cum culpa veniali est voluntarium in ratione damni præcisè C. m. est voluntarium in ratione damni *gravis* saltem materialiter n. M. & dist. m. fundat obligationem restitutionis ex injusta acceptione, si sit voluntaria damnificatio in ratione damni gravis saltem materialiter, C. M. si sit voluntaria, præcisè tamen gravitate, n. m. & c. nam gravis compensatio imponenda non est, quando damnificatio sub nulla ratione gravitatis fuit voluntaria, sed tantum theologicè levis, ut dictum est: quod enim citra gravem culpam nec in se, nec in alio annexo, quod directè voluntarius, agnoscitur (qualis est gravitas materialis damni) non est voluntarium, scilicet in ratione gravis damnificationis: ergo non dabitur obligatio gravis ad damnum grave reparandum.

Ad 2. R. d. a. æquius, & optabilius est, ut ille potius damnum ferat, qui alterum injustè læsit, si lædens damnum datum saltem materialiter totum cognovit, & sciens, ac volens deliberatè damnum intulit, c. a. si tantum obreptitiè, & semideliberatè sine advertentia ad gravitatem materiale damnum dedit, n. a. & c. vel subdist. si in ferendo damno par esset utriusque difficultas, ac ejusmodi subreptitiæ damnificationes essent facile



facile omnes evitabiles, c. a. secus, n. a. &c. ob rationes supra indicatas.

Ad 3. n. ant. contrarium enim probabilius docent Lugo *D. 16. Sess. 3. §. 2. Less. l. 2. c. 12. dubit. 9.* Sanch. Navar. Sotus, Tann. Malder. Salas, & alii contra multos, quia nemo tenetur sub mortali ad restitutionem, nisi vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis; in eo autem casu, qui modicum accepit, neutro ex capite tenetur sub mortali; quia res accepta est exigua & aliquando absumpta absque eo, quod accipiens factus sit locupletior; neque illa acceptio fuit injusta injustitia gravi, ut supponitur, quando ignorabatur damnum ab aliis datum, vel dandum. Et ratio ulterior est, quia per exiguam illam furis acceptionem non causatur grave nocumentum, sed per alias aliorum acceptiones, quarum tamen fur, seu accipiens illud parvum, nullo modo est causa, cui proin nullo modo grave nocumentum imputari debet. Deinde transmissio ant. negatur consequentia, quia in casu antecedentis, si quæ est obligatio, nascitur illa ex retentione rei notabilis, quam omnes jam scienter retineant per modum unius, & ideo omnes obligantur ad procurandum, ne Dominus re sua notabili carere debeat, quam detinent, quod aliter fieri non potest, nisi singuli suam partem restituant: ut adeo ea

*R. P. Leonardelli Soc. Jes.*

obligatio non nascatur ex delicto solum præterito, sed ex delicto præsentis, quod debent vitare, non retinendo apud se totam materiam illam gravem: at verò in casu consequentis obligaretur homo ex defectu levi, ac veniali ad restituendum ex delicto aliquid magnum, v. g. quod propter peccatum veniale levissimum, quod semidormiens commisit, teneatur sub mortali ad restituenda ex delicto multa millia aureorum pro re, quæ ex sua levi illa negligentia periit absque ullo suo commodo, quod incredibile videtur.

Ad 4. dist. ant. potest quis in conscientia obligari ad reparandum damnum grave absque omni sua culpa datum, ita ut ea obligatio nascatur ex tacito contractu, vel quasi contractu, c. a. secus, n. a. & c. ac paritas, quia quamvis in eo casu non detur obligatio ex re accepta, vel fortè neque ex injusta acceptione, eo quod Dominus possit esse non invitus, tenetur tamen ex quasi contractu, quem tacite inicit cum Domino, quatenus vi sui propositi, quod habet reparandi damnum, tacite se illi obligat, quem damnificat ad reparandum damnum, quod prævitet fortè secuturum ad positionem talis suæ actionis, eumque tacite consentire putat in sui animalis eadem sub onerosa conditione damni plenè reparandi.

N

In



In nostro autem casu nullus ejusmodi contractus intercedit, uti ponitur; hinc dixi supra, secluso speciali contractu.

Ad 5. n. a. ad hujus primam prob. R. argumentum illud nimium probare; probaret enim culpam etiam levissimam in hac vita justè puniri posse gravissimâ pœnâ ignis, & verbum otiosum mereri puniri rotâ, & rogo, aut furem unius crucigeri mulctari posse privatione vitæ, vel omnium bonorum &c. cum hæc ita puniantur in foro divino, & nulla pœna hujus vitæ adæquet minimum alterius vitæ supplicium; & si præter gravem Purgatorii pœnam, quam Deus pro levi delicto prius non expiato infligit, in pœnam etiam gravis obligatio restituendi imponeretur, esset pœna adhuc gravior, & qui eam non exsolveret, æternum supplicium incurreret: Unde inter pœnas hujus, & alterius vitæ nequit rectè institui comparatio; nam cum in foro divino, & in altera vita per pœnam vindicetur divina inhonoratio, & injuria infinitæ Majestatis; in foro verò humano, & in hac vita id per pœnam intendatur, ut homines absterreantur à malo, & ut bonum, & tranquillitas Reipublicæ promoveatur, hinc pœnæ illæ, quæ in foro humano sunt satis graves, & sufficientes ad prædictum finem, possunt esse levissimæ in foro divino, respectivè ad infinitam Majestatem læsam, respectu cujus offensæ pœ-

na ignis non est improporcionata, & nimis gravis, sicut tamene flet in foro humano.

Ad 2. negatur imprimis suppositum, quòd Excommunicatio minor sit mera pœna; est enim medicina in bonum potius, quàm malum delinquentis, ordinata ad emendandum delictum, & frangendam contumaciam; restitutio verò esset pœna exterminativa, ut vocant, cedens in damnum delinquentis; Dein transmissio ant. negatur conseq. & paritas; disparitas est, quia Excommunicatio minor, licèt quatenus Eucharistiæ usu hominem privat, sit quotamodo major quavis privatione boni temporalis; quoad alia tamen est longè minor; nam inprimis longè facilius vitari potest, quàm subreptitia, & templaena damnificatio; cum illa defacto non soleat imponi, nisi ob solam communicationem cum Excommunicato vitando, cujus communicationis, cum respectu plerorumque rara, aut nulla sit occasio, facilè vitari potest, & si tamen incurratur, à quovis Confessario ordinario tolli potest, & damnum, quod ex privatione usûs Sacramentorum inde provenit, facilè compensari potest per frequentioresem usum eorundem Sacramentorum. Contrà verò valde difficile est diu evitare leves subreptitias, & semideliberatas alterius damnificationes, & adhuc difficilius est se propterea sponte sua spo-



spoliare propriis bonis. etiam maximi valoris, sine spe ea amplius recuperandi. Dices, ex dictis sequitur, cum, qui alteri per culpam levem subrepticam, & semideliberatam graviter detraxit, non teneri ad famae restitutionem; sequela autem est utique nimis laxa: ergo.

R. vel ponis, posse detrahentē sine gravi propriae suae famae, aliove gravi incommodo laesam famam alteri restituere, vel non? si non potest sine gravi suo incommodo, tunc ex injusta acceptione non obligabitur, sed potius tenebitur ex re accepta, quatenus tacendo videtur alios confirmare in mala alterius existimatione, & detractioem continuare, sicque quotamodo moraliter famam proximi penes se retinet. Ceterum ordinariē ac communiter sine gravi laedentis incommodo fama facile restitui potest, dicendo se alteri praeter advertentiam, aut ex inconsiderantia injuriam fecisse, vel illi ablocutum esse &c. Secus est in bonis fortunae, ubi damnum non nisi valde difficulter, & saepe non sine maximo laedentis incommodo reparari potest, ut patet ex dictis.

90 Dices 2. ex dictis probatur duntaxat, ex ejusmodi culpa levi non oriri obligationem gravem reparandi damnum grave, non verò non oriri obligationem saltem levem, idque ideo, tum quia obligatio levis est satis proportionata

culpa levi, quamvis difficulter evitabili. Tum quia probabiliter potest quis se voto obstringere ad materiam gravem sub obligatione levi. Tum quia ex culpa veniali perfectē deliberata, & voluntaria oritur obligatio perfecta, seu gravis reparandi damnum grave, quando totum damnum saltem materialiter est praecognitum, ut tenet complurium DD. probabilior sententia: ergo etiam ex culpa levi imperfectē voluntaria orietur imperfecta, seu levis obligatio reparandi damnum grave.

R. n. a. obligatio enim levis ad materiam gravem probabiliter non imponitur à natura; quia obligatio naturalis non ex libera voluntate alicujus Legislatoris humani, sed ex ipsa rerum natura desumi debet, quae proin si gravis est, obligationem quoque ad illas res praestandas gravem esse oportet, quia Author naturae committitur aptissime obligationes rerum ipsis momentis & gravitati earundem rerum: hinc furtum summæ gravis per se nequit tantum leviter prohiberi, quia levis obligatio per se non est idonea, & sufficiens ad absterrendos homines, & ad obedientiam ab iisdem obtinendam. Praeterea obligatio etiam levis ad reparandum damnum grave est summè difficilis, & quoad effectum eadem cum obligatione gravi, cum laedens tantam suorum bonorum jacturam faceret, quantam fecisset si graviter obli-



obligatus fuisset: sicut ergo gravis obligatio est improporcionata di-  
ctæ damnificationi, ita & levis.  
Unde

Colligitur responsio ad 1. & 2.  
rationem; nam etsi possit aliquis  
per votum, (quod tamen alii ne-  
gant) se liberè, & sponte sub levi  
peccato obligare ad materiam gra-  
vem, quia voti obligatio non est  
major, quàm quantam vovens vult  
sibi imponere; Auctor tamen na-  
turæ non ita obligare censetur,  
aut probabiliùs per se ita obligare  
potest, quia obligatio naturalis ex  
ipsa rerum natura desumenda est,  
& rerum capacitati, & gravitati  
respondere oportet.

Ad 3. rationem, c. a. n. c. & pa-  
rit. disparitas patet ex dictis; tum  
quia probabiliùs obligatio natura-  
lis levis ad materiam gravem per se  
dari non potest. Tum quia culpa  
plenè deliberata faciliùs vitari po-  
test, & obligatio gravis ad damnum  
grave non est improporcionata, est-  
que æquitati naturali conformius,  
ut ille totum damnum alteri com-  
penset, qui sufficienter totum dam-  
num saltem materialiter cognovit,  
& cum plena deliberatione illud  
intulit, quàm qui involuntariè, &  
invitus damnum passus est, in quam  
proin obligationem homines me-  
ritò censentur tacitè consentire;  
non item in alteram in casu culpæ  
levis subreptitiæ difficillimè evita-  
bilis, & potiùs noxiam, quàm uti-

lem, ut suprà insinuatum est; & li-  
cèt etiam in priori casu injuria for-  
malis seu injusta acceptio sit levis;  
obligatio tamen gravis non oritur  
tantum in illa injuria levi, sed simul  
etiam ex damno gravi præcognito,  
& deliberatè dato, quod non con-  
tingit in casu posteriori, ubi lædens  
non ponitur advertere, & cogno-  
scere gravitatem damni materia-  
lem, nec deliberatè damnum  
dare.

Porrò dictum est suprà non dari  
obligationem gravem reparandi  
totum damnum grave per culpam  
venialem subreptitiam, & semide-  
liberatam datum; nam dari obli-  
gationem ad partem damni gravis  
proportionalem pro quantitate  
culpæ secundum arbitrium pru-  
dentum, docent Molina *citt. D. 698*  
Bonac. n. 8, Sylvest. Regin. Rebell.  
Dicastill. & alii, idque satis proba-  
biliter.

Sed æquè, vel probabiliùs eam,  
obligationem negant alii cum Lug.  
l. c. Less. l. c. n. 28, Tambur. n. 3.  
Españz. q. 32. Platel. p. 3. n. 733.  
nam vel pars illa esset levis? ac  
hæc læsus, si restituatur, non erit  
contentus, nec erit proportionata,  
si datum damnum sit valde mag-  
num; si autem non restituatur,  
obligatio alterius nihil illi proderit,  
sed potiùs nocebit, cum & ipsum  
gravel in simili casu. Si verò illa  
pars in se sit gravis, redit argumen-  
tum, quòd hæc sit nimis difficilis  
respe-



respectu culpæ levis subreptitiæ tam difficulter evitabilis, & si ad quantitatem culpæ attendendum est, ut volunt Adversarii, cum hæc non fuerit gravis, sed levis, non potest taxari obligatio ad restitutionem damni gravis, sed ad summum alicujus partis levis, quæ habeat proportionem cum culpa levi, aliàs non erit juxta, sed supra quantitatem culpæ, quæ levis est. Ad hæc si pars hæc gravis restitui debet, dic sub qua obligatione? num sub levi? Sed obligatio levis ad materiam gravem à natura non imponitur, ut supra dictum est. Num sub gravi? at oppositum nimis arduum est, ut colligitur ex dictis, & ipsi Adversarii levem duntaxat obligationem admittunt cum, & apud la Croix l. 3. p. 2. n. 191.

91 Ad 2. Q. non nulli cum Philipp. Faber *de restit. in 4. sentent. dist. 15. q. 3. D. 53. cap. 1. n. 37.* existimant, satis esse, si retractatio, & famæ restitutio fiat apud immediatos Auditores; quia cum verba in infinitum propemodum ulterius promulgentur, impossibile est, detractorem apud omnes posse satisfacere.

Verùm communis DD. sententia cum Navarr. *de restit. cap. 4. n. 443. Lug. D. 15. sect. 2. n. 15. Less. cap. 11. n. 111. Turrian. D. 53. dub. 2. n. 9. Bonac. D. 2. q. 4. p. 14. Rebell. l. 4. de restit. q. 12. Filliuc. tr. 32. c. 9. q. 7.* distinguit in hunc modum. Si detractor dixit, seu cri-

men revelavit sub secreto alicui, vel aliquibus personis, de quarum taciturnitate, & constantia non dubitabat, sufficere apud has retractare, & famam restituere, quia tunc damnum secutum apud alias personas censetur casuale respectu primi revelantis; si verò crimen revelavit non sub secreto, sed coram iis, quos sciebat, vel dubitabat, an non aliis quoque idem crimen essent revelaturi, teneri apud omnes famam ablatam restituere. Ratio communis sententiæ est, quia totum illud damnum subsequens procedit ex injuria detractoris, præsertim si alii, quibus dixit, licet postea crimen manifestent, exultantes illud verum esse, & publicum: ergo debet detractor resarcire totum illud damnum, cujus ipse fuit causa efficax injusta.

Quòd autem impossibile sit, id, quod dixit, apud omnes retractare, per accidens erit, & tunc ob impotentiam excusabitur, sicut in aliis materiis, per se tamen tenebitur, & ad inquirendum obligabitur, ut satisfaciatur apud eos, apud quos potest, nec excusabitur, ut apud nullum satisfaciatur, ut notat, & probat Lugo l. c. qui licet sententiam hanc, spectata obligatione orta ex injuria præterita, certissimam videri pronuntiet, notat pariter in contrarium videri esse communem praxim Confessariorum, & pœnitentium: Confessariorum quidem, qui solum ad hoc pœnitentes obligant,



gant, ut apud eos retractent, coram quibus alterius fama injustè læsa est. Pœnitentium verò, qui sive ante Confessionem, sive post, sufficienter videntur sibi satisfacere, si apud eosdem satisfaciant;

Qua proin communi praxi supposita concludit citt. Lugo, licèt spectata prædicta obligatione contracta ex injuria præterita detractor per se teneatur refarcire famam apud auditores mediatos, & immediatos, eum tamen defacto ab hac obligatione communiter liberari, tum ob moralem impotentiam, quæ ut plurimum datur; tum quia hoc ipso, quòd detractor apud immediatos auditores sua dicta retractet, & famam restituat, videtur illis implicitè committere, & relinquere, ut ipsi hanc suam retractionem aliis, si quibus dixerunt; divulgent, qui cùm id munus expressè non reluciant, tacitè acceptare videntur, cùmque detractor nesciat, quænam sint illæ aliæ personæ mediata, quibus id relatum est, nec scire possit, nisi ab ipsis auditoribus immediatis, eo ipso, quòd hi de infamia ulterius propagata detractorem non moneant, censentur eam curam in se suscipere, & detractorem ab eo onere liberare. Et hæ rationes satis probabiles sunt, & communem Confessariorum, ac pœnitentium praxim confirmant, ac suffultiunt.

92 Ad 3. Q. obligationem restituen-

di pro fama læsa transire ad hæredem detractoris, quando ipse ante mortem non restituit, censent ADR. quod lib. 11. q. 1. Navarr. in man. c. 18. n. 46. Molina D. 45. & alii ex eo fundamento, quòd cùm fama injustè ablata aliter restitui nequit, debeat pecuniâ compensari: unde cùm fama non fuerit prius restituta à defuncto, hoc debitum, aliàs pecuniâ compensandum, transeat ad hæredem, sicut transeunt reliqua debita pecuniaria.

Verùm negativam sententiam tumentur Lugo D. 15. sect. 1. Less. dubit. 21. Dicastill. de rest. d. 12. n. 280. la Croix l. 3. p. 2. n. 1256. alii que communiter, idque meliùs, ac probabiliùs.

Ratio est, quia hæc obligatio est personalis, & hæres solùm succedit defuncto in ordine ad jura, & debita fortunarum, non verò in fama neque in debitis famæ, quæ solam personam intamantis respiciunt. Neque ipse defunctus ante mortem ea de causa contraxerat aliquod debitum pecuniarium; nam quòd fama, quando aliter restitui nequit, non debeat compensari pecuniâ, tenet communior, & probabilior sententia contra citt. DD. & alios, eò quòd bona, & debita ordinis superioris non possint compensari in bonis ordinis inferioris ob impossibilitatem æqualitatis, & inæstimabilitatem, cùm sit impossibile, ut

ut



Iæsus v. g. in fama, vita amissa &c. habeat ullo modo id, quod amisit injustè, quam tamen æqualitatem intendit formaliter justitia commutativa.

Unde in foro conscientie restitutiono pro fama ablata, quatenus præcisè damnum defuncti respicit, non est ipsius hæredibus facienda, sed ipsi defuncto, ejus famam redintegrando, utpote qui non condonavit jus, quod habet ad suam famam, quod jus non transtulit in hæredem, sed semper remanet, donec fama restituatur, si fieri possit. Si tamen ipse hæres damnum propterea passus esset in

bonis fortunæ, vel in propria fama, ipsi hoc damnum resarciendum esset. In foro tamen externo cum hæres non solum possit prolequi actionem defuncti intentatam ob injuriam acceptam, sed etiam de novo illam intentare, poterit ex hoc capite transactionem facere cum debitore & pretium accipere, ut desistat ab actione, quam prolequi, vel intentare poterat in foro externo, quod pretium, seu pecunia non est pretium famæ ablatæ, sed juris, quod habet ad intentandam litem, quod jus ille vendit pro eo pretio. Unde patet  
responsio ad secundum membrum Q. 3.

## C A S U S X V.

*De restitutione præstanda ab eo, qui alterum impedivit à consecutione legati, beneficii, alteriusve boni.*

PONTIANUS ob inimicitias cum Cajo habitas non quidem vi, aut fraude, sed tamen ex odio, & animo nocendi suadet Pontio testatori, ne legatum mille fl. relinquat Cajo, sed illud Patronillæ consanguineæ suæ viduæ leget. Præterea, cum Nunnus frater Caij aspiraret ad Beneficium Ecclesiasticum, suasionem, & precibus Collatorem jam determinatum ad conferendum Beneficium Nunno Sacerdoti permoveret, ut illud conferat filio suo, licet minus digno.

QUÆR. I. *An, & quando ad restitutionem teneatur, qui precibus aut consilio absque*